



POSITIONUM MORALIUM

DE

129
24
DIVITIIS

DECURIA,

PRÆSIDE

CHRISTIANO

Röhrenseen

Phil. Pract. P. P. & Elector. Alumn.

Ephoro,

In Academia Wittenbergensi

publice disputata

A

RESPONDENTE

M. JOHANNES LAURENTIO

Schneemelchern/

Wernigerod. Thur.

ad d. X. Maji, cl. 1661.

VITÆMBERGAE,

Literis SCHVLZIANIS, Acad. Typogr.

I.

Inter varia virtutis excolendæ ad-
 minicula & instrumenta locus etiam merito as-
 signandus est *opibus*, ex quibus videlicet nos & no-
 stros alimus, aliisque opitulandi habemus facultatem, simul
 quoque rerum præclare gerendarum nervum.

II.

Opum vero nomine veniunt impræsens *Substantie proprie*
possesse, sive possidenda. Enumerat eas ARISTOTELES,
 1. *Rhet. 5.* ac tria in iis requirit, ut videlicet sint *secura, & libera-*
lia, & utilia. *Secura*, quæ eo in loco, eoque modo possidean-
 tur, ut earum usus sit in domini arbitrio. *Liberalia*, id est,
 homine ingenuo digna, & ex quibus nihil, quod equidem
 aliqua æstimatione censendum sit, percipiatur, præter usum.
Utilia denique, ex quibus fructus capi possit. Cum enim sint
 felicitatis instrumenta, non tam possessio earum, quam usus
 hic attenditur.

III.

Recte de iis præcipit PHILOSOPHUS, 10. *Eth. 9.* non infi-
 nitum divitiarum ad bene beateque vivendum requiri apparatus,
 cum mediocribus etiam rebus agere ex virtute unus quisque
 possit. Et 7. *Pol. 1.* confirmat, *vitam beatam magis esse in iis,*
qui moribus quidem & animo supra modum sunt exornati, fortune
autem bona modice possident, quam in iis, qui hæc quidem plus, quam
sit utile, possideant, illorum vero pauciora.

IV.

Cum modo itaque appetendæ sunt opes, 'quod tum fieri
 intelligitur, cum eas honestatis tantum gratia quærimus ac
 diligimus: Ut earum videlicet portione in nostrum nostro-
 rum-

rum-

rumque usum conversa, quod reliquum est, in aliorum, pro-
ut meritorum exposcit ratio, commoda conferamus.

V.

Quod si quibusdam non satis perspectum sit, quid ad ne-
cessarium nostrum, nostrorumque usum requiratur, illi sci-
ant, accommodandum illum esse statui nostro & conditioni;
quæ si mutantur, tum cum illis & in usu facultatum quædam
contingere potest mutatio, sine tamen animi alteratione.

VI.

Enimvero sæpius evenire solet, ut diversis casibus in ali-
quem benignioris fortunæthesauri defluant. Qui profecto
non repudiandi, nec pristinis immorandum fordibus, sed
conveniens cultus, fortunæque apparatus assumendus, dum-
modo quis ea pectoris firmitate sit præditus, ut splendori,
quem res familiaris porrigit, idoneum se præstet, nec ridi-
culum se præbeat, comparatus cum iis, qui augustiori fortu-
næ cultui sunt adseri; nec a cultura virtutum fortunæ blandi-
tiis se abstrahi patiatur.

VII.

Qui vero tali mentis constantia præditus non est, ille, si
habet divitias, eas in sui exitium possidet. Habent enim in se
ingentem vim inclinandi animum ad omnia scelera, ad quæ
plerumque alias satis proclivis est, aliumque armant ad libidi-
nes, alium ad ignaviam, alium ad cupienda ea, quæ non capit,
& a vero scopo abducunt. Hinc bene SFORT. PALLAVICI-
NUS. 4. de Bono, c. 52. *Contingit, ut immodica opulentia, cui prudentia
singularis non moderatur, irruat quam citissime in omnes sensuum vo-
luptates, quippe sibi expositas, & parabiles. Inde vero fastidiosus dives
notarum jam voluptatum inappetens, novas, insuetasque inibat volu-
ptates, quod de Xerxe legimus. premium iis pollicito, qui nova voluptatum
genera invenissent. Verum hæc ipsa opulentia, aliis, aliisque inventis de-
nique deficientibus, ut inexpertum aliquod delectamentum consequatur,
desiderationem immittit aut in id, quod fieri, obtinerique non possit, aut,
quod sua sit turpitudine execrandum. Primo in eventu desiderationem
cruciat desperatio successus; in altero conscientia morsus, infamia, ultio-
nisque supplicium.*

VIII.

VIII. Media proin via tenenda: nec immoderatus appetendæ divitiæ, nec, ubi contigerunt, abjiciendæ, sed usurpandæ. Nunquam se nobis antiquorum quorundam Philosophorum probavit rigor, qui, repudiantes opes, ut expeditius philosopharentur, simul repudium misere humanitati. Enim verodum, quibus ipsi frui noluerunt, etiam aliis negarunt, satis prodiderunt, se, prodesse aliis, utile & honestum non æstimare. Quo vero ipso naturam humanam dedidicerunt. Nam quod naturam paucis esse contentam prætendunt, verum equidem est, si cui curæ sit, suis tantum necessitatibus satisfacere: sed non negligendi propterea erant ejusdem naturæ confortes, opis nostræ indigentes. *Si tantus pecunie contemptus est, inquit LACTANTIUS, 3. de fals. sap. c. 13. fac illam beneficium, fac humanitatem; largire pauperibus. Potest hoc, quod perditurus es, multis succurrere, ne fame, aut siti, aut nuditate moriantur.* Quo nomine Xenocratem optimo jure vituperavit Alexander, quod sibi munus remississet, quo plurimis adjumento esse potuisset. Apollonius vero Thyaneus cum Anaxagoras agros armentis & ovibus compascuos & incultos reliquisset, quos satius erat in usum hominum conseruisse, *eum pecudibus magis, quam hominibus fuisse philosophatum*, recte in ipsum jocatus est. PHILOSTRATUS *l. 1. de vita ejus*. Ac istis quidem hominibus uti non deneganda forte sapientiæ laus, sic prudentes inter, ARISTOTELE judice, haberi non possunt, quod licet recondita atque eximia quædam, & admirabilia, & difficilia, & divina tenuerint, ignorarint tamen, quæ sibi essent utilia. *5. Eudem. 7.*

IX. In opibus parandis id danda est opera, ut legitime, ac sine aliorum damno ac injuria acquirantur. Neque tempus culturæ animi impendendum curis istis teratur. Multis utique parasse divitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio. SENECA, *Epist. 17.*

X. Haud minoris artis, laborisque est, divitias acquisite servare, tueri, dispensare, quam easdem primitus comparare.





